

Alte Drucke

**CERVA MATVTINA || IN XXII REGII || PROPHETAE DAVIDIS ||
PSALMO GRAVI, ET RERVM || DIVINARVM REFERTO,
ADVMBRA-||ta, & illustrata Auctore || JOANNE ...**

Eschner, Johann

Francofurti ad Moenum, 1577

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148227

CERVA MATVTINA
IN XXII REGII³⁴
PROPHETAE DAVIDIS
PSALMO GRAVI, ET RERVM
DIVINARVM REFERTO, ADVMBRA-
ta, & illustrata Auctore

JOANNE FRAXINEO TYRI-
geta, Opt. artium & Philosophia
Magistro.

Vine :
CHR



vale :
Felix :

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD
Mœnum, apud Ioannem Feyerabendt.
Anno M. D. LXXVII.

Ioanni Heimullero, Scraphensium Decano D

IN XLI
THE
12
12
12

FOR THE
12

12
12
12

12

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC D. DOMI-
NO LVDOVICO PALATINO
RHENI; S. R. IMPERII ARCHIDAPIFERO
& Septemuiro, vtriusq; Boiariæ duci; &c.
Domino suo clementissimo.



*Vo plausu excipiam te patria parens:
Custos gentis ades; principibus viris
Stipatus: Nicer & personat omina
Aduentus. tibi gratias*

*Soluit Lotichij carmine nobilis;
Te Cocrus patruus flumine fertili,
Et Baccho, & Cerere, & piscibus optumis,
Te nunc suspiciunt ducem.*

*Summo te genitum principe, & inclyto
Norunt. nobilitant priscaq; stemmata.
Fulgent ante alias Herculeus Leo
Ceras, signaq; fortia.*

*At maior pietas, robur & insidet
Augustum. Siquidem cœlica dogmata
Sanctè prosequeris; monstraq; turbida
Exsecraris ab inferis*

*Producta. O patrius sanguis & inclytus
Lucem redde tuis dux bone patriæ.
Instar veris enim vere sub aureo
Adfulget bonitas. Nitent
Et soles melius. te pietas, fides,
Et candor nitidis tempora floribus
Cinctus; carminibus tum precibus pijs
Tollunt principem ad æthera.
Ergò nunc faueas; nostraq; carmina
Vultu suscipito. quæ dedimus lyrâ
Confusa. haud Venerem, nec lepidos iocos
Spirant. qualia cernimus
Vates in medium spargere: sit procul
Omnis spurca Venus, lerna cupidinum;
Quod Christum sapiat carmen amabile,
Et gratum. Huic decet optumo
Uni assurgere. ego talia protuli;
Quæ sint temporibus conuenientia.
Nil exspecto aliud, quàm necis horrida
Ad viam effigiem dare
Illumstrem meriti formam, & imaginem
Lethi; quod misero stipite pertulit
Christus verus homo; tum deus arduus;
Æterni iubar aureum*

Et lu-

Et lumen patris. Hunc tollere carmine
Stat: nil præterea grande deo sonat
Gratum. Musa sua seruiat omnium,
Formatori operum lyra.

Quare tu patria dux mea carmina
Placato accipito vultu, & honoribus
Donato: misero puluere quæ iacent,
Et lucem adspicere haud queunt.

Olim cum melior corpore spiritus,
Et vernaret honos; carmina lusimus.
At nunc luctus edax, & grauis indies
Pauperies miserum premunt.

Acceptum hoc furijs debeo barbaris;
Quas vineta iuuant, cultaq; iugera;
Stridoresq; mole, lucraq; turpia.
Sic fatis ruere omnia

Constat. neu patria subtrahere lumina
Mentis, tergeminis clarus honoribus
Princeps: tu misero porrige dexteram,
Et solare animum meum.

Ad Regum docui flore sub aureo
Ætatis; numeros Danubius meos
Audiuit rapidus: desino longius
Commendare meos rudes

Fetus carminibus tu faueas meis.

*Ad Nicrum finito viuere, ludere,
Et gratum memori corde memoriam
Seruare. Haud aliud precor.*

*Sic te sancta beent numina, te ferant
In sublime animi carmine nobiles.
Sic saluum innumeris te cumulet bonis
Summi gratia numinis.*

*Ad Mœnum ut cecini hæc carmina, defuit
Tempus. tu placido pectore consule
Quæ sunt scripta, boni: parua nec abijce.
Non omni facileis fluunt*

*Musa tempore, non omnibus in locis.
Tu sis perfugium, portus & exsuli:
Sic dulcis valeat, uiuat & optimè
Coniux, edita stemmate*

*Augusto, & patrio sanguine principum.
Sit fecunda domus, & soboles premat
Septemuir solium clarum & honoribus
Corpus velet Epomide.*

*Te multa populus prosequitur prece.
Jam conditq; diem collibus in suis;
Et vitem ad vitreas ducit aquas Nicri;
Expertus facilem Ducem.*

Salue

*Salve progenies edita Caesarum,
Ac regum domibus, stemmate & inclyto.
Sis Musis facilis; protege; viuito
Felix plurima secula.*

Non. Aprilis ad Mænum. Anno
CIO. IO. LXXVII.

*T. Illustriss.
celsitatem
demiſſè colens
Fraxineus.*

DE IN-

24. August 1791
An die Herren
Bürgermeister und
Rath der Stadt
Frankfurt am Main

Von der
Gemeinde der
Frankfurter
Bürger

T. J. J. J.

Frankfurt
am Main
den 24. August 1791

DE IN

DE INSCRIPTIO-
NE PSALMI XXII.
DEVS DEVS MEVS,

QVARE ME DERE-
liquisti:



*Gregij nobis monumenta insignia vates,
Tecta sub abstrusis proposuere typis.
Pars quaedam studuit monstrare in ima-
gine viua,*

Tempore quæ certo certa futura suo.

*Talis est in Psalmorum ratio manifesta videtur,
Carminem quem tenui nostra Thalia dedit.
Exhibet ante alias pendente in stipite CHRISTVM;
Quantaq; perpeffus sit mala, ritè docet.*

*Quò magis in sensus hominum manaret Imago;
Naturæ è gremio non aliena datur.*

*Confertur ceruæ, vitæ melioris Origo,
Filius æterno de genitore satus.*

*Quam fessam cursu latrantum exercitus ira,
Et trepidam cogunt regna subire necis.*

*Instat acerba canum vis, cingunt agmine denso;
Quò reparet vires, non datur vlla quies.*

B

Vulne-

Vulnere pars urgent saeuo, pars morsibus atris
Dissectam relinquunt, ex animemq; solo.
Pars victæ insultant; moribunda crimina dicunt;
Latratus quædam signa furoris habent.
Aptius exemplum non posset imagine tali
Proponi; euentus vera fuisse docet.
An non Pontificum furijs obiectus, & ira
Multa tulit summo non patienda DEO?
At nostra in sese deriuans crimina culpa,
Sponte tulit, summo Victima lecta patris.
Cernitur heu quantum sudarit regia proles.
Quò graue peccati morte piaret onus.
Quos non persensit cruciatus? quos ué dolores,
Perpeffa est anima vis generosa pia?
Certamen quantum subiit? discrimine quanto
Jactata? ô pietas carmine digna cani.
Vicit iter durum, nostri miseratio Regis,
Posthabuit regno crimina nostra suo.
At cur vexatam ceruam sub Sole recenti
Cum ros in tenero gramine, Psalmus ait?
Cur non tentatam mundi sub vespere sero?
Conueniens siquidem constat id esse magis?
Res arcana subest, mysteria scito sepulta,
Eruit ex adytis Spiritus ista sacer.

Sicut

Sicut enim in tenebris noctu contendit Jacob,
Congressus luctam sustinuitq; DEI.
Nec nisi cœlesti decoratus munere abiit,
Complexus toto corpore viq; DEVM.
Donec ad aurora lucem se prodidit Heros,
Mortali linquens clara tropæa viro:
Sic etiam CHRISTVS verissîma lucis imago
Et patris effigies delitiæq; sui:
Limina perrupit iaculantis fulmina legis,
Noctis & horrores depulit ac tenebras,
Ille suo cursu præteruolat aspera legis
Saxa, aditus, scopulos, difficilesq; vias.
Depulit & noctem legis, quâ pectora vincta
Noscere cœlestem non potuere facem.
Lex etenim mortẽ importat: vomit horrida flamas:
Et tempestatem concitat usq; grauem.
Flebile & inducit lethum mortalibus agris,
Tatareos animas cogit adire lares.
Nulla salus illuc; neq; spes ostensa bonorum:
Nec requies; furys pectora capta rapit.
Torquet & excruciat præsentis imagine Lethi,
Interitum intendit, suppliciumq; grauat.
Sicut & horrida nocturno tempore larua,
Spectraq; deformi fronte videnda volant:

Sic ubi lex homines damnatos destinat Orco,
Lurida conspicitur tristis imago necis.
Turbat & pendent animæ, nec pharmaca norunt:
Ante oculos præsens Orcus & umbra volant.
Eumenidumq; furor geminat sub corde dolores:
Conscia mens scelerum concita lege pauet.
Ferre nec auxilium sibi, nec solatia nouit,
Hæret in ancipiti pressa dolore metu.
Adde, quod obstrictos Mortales fenore multo,
Urgebant pœna nomina magna graui.
Par oneri genitus mortali stirpe ferendo
Nemo aderat, nemo qui graue ferret onus.
Iustitia urgebat fieri satis una sororum,
Et veri custos vota petita probat.
Pax aderat florenti oleâ vestita capillos,
Extulit hæc sceptri regia signa sui.
Comprobat assensu miti clementia vultu,
Atq; ait, & lacrymis verba rigata dedit.
Mortalem in terris nobis monstrate sorores,
In quem supplicij sæuiat omne genus:
Quem necis & fauci, & diro obijciamus Auerno,
Talis at in terris inuenietur ubi?
Heu spes fallaces: cui sedem spondeat altam,
De genere humano nil liquet esse super.

Excipit

Excipit ista soror veri strictissima custos:
Crimina patrauit, nomina soluat homo.
Victima quarenda est, hominum scelus expiet illa:
Vestiganda oculis hostia sancta tuis.
Non tibi cœlestes acies, non sidera talem
Ferre, nec Oceani litora vasta queunt.
Denegat hanc tellus, Quæ nunc sententia habenda?
Ferre quis auxilium, consiliūq; potest?
Te pie decernunt consensu CHRISTE sorores:
In te deriuant totius orbis onus.
Vis tibi summa, tuū misereri aut perdere gentem,
Quod possit pietas, effice, & adfer opem.
Te manet hoc vnum: tibi magna potentia: Ditem
Exue: prædatis abstulit hostis opes.
En vide ut exsultet spolijs, iactetq; triumphos?
Illudunt stirpi morsq; Dracoq; tua.
Dum tantam constanter agit Miseratio causam,
Et lacrymas fundit, plena dolore soror.
CHRISTVS ait, fiam, petitis quod, victima carnem
Assumam, nostra carne triumphet homo.
Indutam tabulas, & grandia nomina Letho,
Stat perferre necem, quò redimatur homo.
Ergò sponte venis mitissime CHRISTE, salutis
Accisis rebus fers miseratus opem.

*Instar tu cerua perrumpis limen Auerni
Et victa reuehis clara tropæa nece.
Sicut & in tumulo iacuisti lumine cassus,
Luctando fessus supplicioq; graui:
Sic sub mane nouo præbes spectacula mundo;
Atq; aliam lucem, magnaq; dona refers.
Sol velut exoriens defunctis nobile lumen,
Lætitiæ instauras publica festa nouæ.
Pangitur & fœdus sublato fulmine legis,
Atq; nouam sobolem legis habere cupis.
Hæc matutina signantur imagine ceruæ:
Hæc tituli ratio, principijq; liquet.*

ODE



ODE TETRACOLOS,
TETRASTROPHOS PSALMI XXII.

DEVS DEVS MEVS, QVARE ME DE-
RELIQVISTI.

CVR tandem genitor tanto in discrimine rerum,
Casuq; deseror graui?

Nec spes vlla super mihi

Affulget misero relicto?

Quonè recessisti DEVS ô mitissime? curûe

Abcondis omnem gratiam,

Cur mentem patriam tegis?

Cur lumen premis ô paternum?

An tibi decretum raptare per omnia gnatum,

Extrema? mortem pendere;

Ferre & supplicium iubes?

Quò nunc immeritus fatigor.

Nûm gnatum infami voluisti occumbere Letho?

Casusûe ducere asperos?

Succumbamné miser neci?

Nec me dextera subleuabit?

Nûm sic eterno degens in lumine tecum,

Immunis à periculo

Viuo? num fruor ætheris,

Gnatus delitijs repostis?

Anne

*Annè hoc imperium? numnè hæc pietatis imago?
Honore sicnè perfruor
Æterno genitor tuo?
Num cæli remanet voluptas?
An sic me tristes voluisti voluere casus?
Scelus expiantem totius
Orbis, criminaq; omnium
Quot viuunt hominum sub orbe:
Cui precor exitio me nunc fortuna reſeruat?
Pereamnè totus? omnibus
Deſertus, miſer, obrutus
Ærumnis, grauibusq; curis.
Mens onus infandum perſentit: fluctuat æſtu:
Fræq; vis tuæ excipit
Ne totum; ſcopulis velut
Illudunt tumidæ procellæ.
Vento expoſta velut iactatur turbine cymba;
Magni ſonant ab omnibus
Fluctus partibus; undiq;
Eurus ſæuus & Auſter vrgent,
Pendentem ſcopulis, comprehenſam gurgite puppim:
Ego ſic neci ſum proximus:
Adſtat terribilis pauor;
Et lethi variæ figura.*

Trudit

Trudit me moles scelerum Phlegetontis ad undas:
Aliena porto crimina:
Et mentem excruciat dolor,
Infernale malum fatigat.
Ultricem exuperior Diuini numinis ignem:
Trepidatq; mens, ex vulnere
Lasa, afflicta iacet, caret
Omni praesidio misella.
Quò nunc me vertam? quâ spe solatia quaram?
Actumne mecum, & Inferis
Monstris trador inops? parens
Instanti eripe me periculo.
Defessumq; malis animum, curisq; grauatum,
Sæuisimis, subducito
Vinculis corporeis: domos
Intret Spiritus & beatas.
Lex mihi proscripto seuam denunciat iram:
Cogitq; vexat, abripit
Ad lethi Stygias domos
Pallentisq; Erebi recessus.
Adsis extremo versanti in turbine lethi
Parens, & unicum tuum,
Ne tantis finito malis
Conflictari animo pauenti.

C

Testentur

Testantur gemitus, & vota ardentia; quantum
Remotus à me longius:
Nullam spem video; procul
Diuinum auxilium profectum.
Heu mora longa diu; geminant in pectore luctus:
Roditq; mentem turbidam:
Diuisus videor meis
Membris, destituente Olympo.
Nil ego proficio lacrymis; dolor anxius urget:
Instatq; cura: Numine
Orbatus iaceo tuo,
Exspes, pauper, inops, relictus.
Culpa aliena facit, quam nunc mihi vendico soli:
Iniecta moles maxima;
Cogit flebilibus modis.
Instans conquerar ut periculum.
Sive sub Auroram te poscam in vota parentem,
DEVS vnice, & spes inclyta.
Nil quidquam refero miser
Responsi, latitas sepultus
Somno. Nec requiem video sub nocte silenti:
Horrorq; terret luridus:
Vexant, atq; adimunt mihi
Procumbenti in humo soporem.

Frustrà

*Frustra conficior lacrymis; heu questibus auram,
Deo silente verbero:
Durandum mihi in arduo
Hoc certamine, quò repentè
Constrictus videor, raptorq; per improba facta:
Visenda regna pallida.
Descendendum Erebi lacus:
Restat nil aliud relictò.
At tu sanctè parens semotus es agmine vulgi
Peccantis; à consortio
Deuotorum hominum malis
Diuisus: nitidos recessus
Maiestas habitat nulli cernenda; nec ullum
Admittit in commercium
Diuini iubaris: nefas
Peccatorem adyta intueri
Secreta. heu nam Diua latet sapientia sola:
Fixisti in arduis iugis
Sedem magnificam tuam,
Semotam strepitu malorum.
Te colere, & venerari vnum, tibi soluere honorem
Veneranda postulat sanctitas:
Et feruens animus tibi:
Si designet homo nefandum*

*Crimen. Continuò tua mens exastuat ira,
Clademq³ stringit horridam:
Sin verò renocaueris
Mortales scelere abdicatos,
Tunc præclarè agitur, summaq³ in pace quiescis,
Vacans metu & doloribus.
Nil quidquam tibi noxi
Impendet, rigido sed ore
Contemplaris, & observas mortalia facta:
Pax ante sellam regiam,
Et securus amor cubant:
Viunt ambrosiâ beatâ.
Laudibus Isacidum te gens super extulit astra
Numenq³ vexit ad rotam
Phœbi, dignum & honoribus,
Ut certè meritis, putant.
At quò blandus amor gnati, quò cura recessit?
Latet nè pressa nubibus?
Frarum remoue parum
Tegmen: gratia fac nitefcet.
Me non Elisij domus aut placidissima sedes
Tenent, ut olim in abditâ
Tecum luce habitans parens
Communita iacet serena.*

Et

Et felix statio. Sudandum in robore trunci:

Dolor excoquit, me lurida

Pallentis facies necis

Jam torquet moriturum abundè.

Sperant & patres in te, fecere minores

Fudere vota, questibus

Implevere adytum tuum,

Quando flebilis immineret

Tempestas, grauiusq; malum vexaret inermes,

Vel hostium pericula

Vastarent patrias domos,

Aut tristi excidio lares:

Tunc præsens aderas, casus, sortemq; leuabas:

Spes deserebat neminem:

Tellurem per inhospitam

Tractabas genitor clientes

Lautè, delitiasq; dabas, & gaudia mille

Umbracula inter vitium

Curabas hilari mero

Et Nardo Assyria imbuebas.

Texisti muro, clausistiq; agmine fido,

Hos ne Tyranni à cultibus

Sacris, vel laribus pijs

Turbarent opibus tumentes.

C 3

Non

Non secus ac pullos aquila sua membra tuentur;
Abiguntq; rostris improbos
Conatus volucrum, ferasq;
Vi pellunt alacres ouantes:
Spem teneris secum educunt, & corpore toto
Tegunt inermes, explicant,
Alas, ne noceat gravis
Tempestas, Aquilone seuus:
Talis eras olim in gentem facilisq; bonusq;
Casus per asperos trahens
Cætum, diuis honoribus
Vexisti super astra plebem.
Pascebas oleis & dulci nectare mellis:
E rupe lactis flumina
Fecisti ruere optimi;
Unis purpureis rigasti
Defessos ciues patrio inflammatus amore:
Nihilq; neglexit parens,
Quò curaret oues suas,
Ceu pastor solet ad vireta.
In te spem posuere suam, fiducia nunquam
Fefellit illos irrita:
Euentus faciles malis
Sortiti, & celebres triumphos.

Testes,

Testes, Niliacæ portenta tot inclyta terræ

Pharosq; sensit dexteram,

Et vim prævalidam tuam

Et miracula, quæ notabas.

At qualis videor, sum vermis, fabula mundi,

Sum nausea & fastidium:

Infami trabe pendeo,

Latronum reputor sodalis.

Nomine non hominis dignus, contemptaq; Imago

Apparet in me; sordeo

Orbi, despiciunt boues:

Me vermem excipiunt cachinno.

Os, vultusq; suos in me spectantium agendo

Collimant & dirigunt:

Me exilem, fatuumq; habent

Infamem, hæreticum, Sophistam,

Turbatorem hominum; sacras qui polluat aras,

Tollatq; ritus inclytos

Patrum, meq; oculis suis

Designant furiam vocantes.

Omnes me fugiunt, pestem execrantur acerbè

Instar cadaueris, notant

Fæda ignominia, obruunt

Fictis criminibus, merentem

Nil

Nil quicquam, in fontem diris crudelibus Orci
Furijsq; deuouent malis.

Quò quis promptior ad sales

Mordaces, precium reportat.

Infrà mortalem sortem deiectus, ab illis

Derideor turpissimè:

Quorum munus erat, fide

Tutari atq; inopem fouere.

Quòcunq; adspiciunt tristes in imagine Vultus;

Statumq; cernunt horridum:

Sarcasmos acuunt, suum

In me turba vomit venenum.

Nullum nostra mouet fortuna: miserrimus vnus

Doleoq; me excipi sale

Mordaci, & fieri iocum;

Quem conuitia non mouerent?

Tergemino tollendus eram Rex magnus honore:

Oculos at ante turpiter

Sannas, dira q; scommata

Iactant, in faciem vomentes.

Curuaq; diducunt contractis rictibus ora;

Caputq; quassant improbi;

Ardent inuidiâ, crepant

Liorem atq; odium nefandum.

En quàm

En quàm pulchra tui reparata palatia templi
Stant arte? moles splendida
Augustum caput ad polum
Attollit triduo labore?
Heu quoties patrium cœlo ostentauit amorem?
Quanta arrogantia furens
Mentitus sobolem DEI
Impostor? scelus ô nefandum.
Confidat superis; soluant compage ligatum:
Placet, hunc inuent, & eximant
Vinclis fictitium DEVM:
Descendat trabe: sed negatum.
Ex Orco in dulcem reuocauit luminis auram,
Animas suis potentibus
Verbis: vim medicam attulit:
At frustratus ab arte, nescit
Infelix sibi nunc succurrere: stipite pendet:
Meruit cruces has furcifer:
Hanc ignominiam ferat,
Blasphemias vomuit loquelas
In leges, & sacra patrum: rescidit & aras;
Abolet q̃ ritus; & suas
Nugas substituit leues;
Ex Orco noua proferendo.

D Hauriat

Hauriat has pœnas, meritis grauiora Sophista,
Veterator, & fœdissimus
Seductor populi, caput
Diræ seditionis atrum.

Nunc pendet sceleratus homo; rex fictus Olympi:
Sibi ferre non opem valet:

Abscondit faciem suam,

Titan, ne scelus intueri

Cogatur; terris monet hanc auertere pestem:

Tellusq; votum comprobat:

Rupes, & rigide tremunt

Montes hunc abolere suadent.

Quem non hi turbent genitor sanctissime morsus?

Oneri quis huic par maximo?

Stat perferre malum; erigor

Cursu in difficili laborum.

Nam cum massa forem tenera purissima matris:

Conceptus aurâ Spiritus

Arcanâ, sterili tamen

(Mirum) virgine, me parentis

Traxisti de ventre mea tua viscera prolem:

Tua me manus clarissima

Effinxit puerum, velut

Docto carpit apes labore

Salti-

*Saltibus umbrosis passim nitidos hyacinthos,
Succosq; floribus metit
Plenos nectaris optimi:
Incorrupta manent vireta.
Et nil detrahitur flori, violisue rosisue:
Talis fuit natiuitas,
Et partus, seriem supra
Naturæ, simile haud videbit
Orbis, nulla ferent exemptum secula; solus
Mortalis absq; crimine
Natus corpore virginis
Illesæ, columnen futurum.
Cum me virgineo potaret nectare lactis
Mater pudoris inclyti:
Tunc spes auxiliumq; eras
Unum perfugium tenello
Infanti mihi; cum nondum sucreuerat ætas:
In te locavi spem meam:
Orbatus Domino puer;
Commisus fidei tenellus.
Tu tutor; Defensor eras, spes una, patronus:
Matris venusta portio,
In dulci cubui sinu,
Adspirante tuo fauore.*

Hæsi complexu mihi te spondente salutem:

Expertus & mentem patris

Dum victum facilem DEVS

Castis vberibus parares.

A teneris fueras DEVS optatissimus annis:

Fauore complexus pio

Me fœtum tenerum regens

Ætatis viridis iuuentâ.

Rumpe moras, gressum accelera; succurre iacenti:

Properato, curre, subueni:

Mole exerceor obrutus;

Impendent Stygijs furores.

Imminet exitium, vitæ DEASTamina rumpit;

Columq; stringit Atropos:

Circumquaq; fero meos

Infelix oculos, & opto

Auxiliatorem tanto in discrimine lethi:

Sed ecce nullus aduenit:

Exspes nam iaceo; negant

Astra & terra mihi salutem.

Circumstant nostræ capita illustrissima gentis:

Odijsq; vulnerant suis:

Et tauris similes feris,

Insultant pedibus iacenti.

Aucto-

Auctores aliquis pietatis diceret istos;
Vocaret orbis lumina;
Quos custodia detinet
Sacrorum, studiumq; legis.
Hos hos experior mihi fata extrema parare:
Odiumq; Praesulum premit:
Et cornu rabido petunt:
Mugitu omnia territantq;
Incursant valido prae pingues corpore tauri:
Ursoq; quouis sauius
Exercent rabiem suam;
Doctorem inuidia grauando.
Parcere debebant caelestia iura ferenti,
Acerbiori at impetu
In me lerna ruit ferox;
Splendore egregio superba.
In se conuertunt hominum vultusq; oculosq;
Digitisq; solos exhibent
Spectandos hominum gregi,
Custodesq; sacrorum & ara
Se penes esse DEI mysteria tradere solos:
Seq; explicare somniant
Arcana, atq; adytum tuum:
Laudem iustitiaq; soli.

D 3

Asscri-

*Affcribunt, titulos & splendida nomina iactant,
Ad nubem, & vsq; sidera.
Fucatos animos gerunt;
Prætextuq; nocent honesto.
Per fas atq; nefas commissa negotia curant:
Ducuntq; laudi fallere,
Si vis publica non valet;
Causis insidijs medentur.
Maestas illis, & summa potentia fastus;
Opibusq; luxu diffluunt;
Illis copia & omnium
Rerum. Nil video deesse.
Excipit hos plausu, dignatur honoribus Orbis:
Plebs suspicit ceu lumina;
Naturæ gremio eruta
Norunt, Eloquioq; præstant.
Perfecti numeris multarum indagine rerum,
Callent, & usu maximo.
Delapsos aliquis putat
Cælo, numen & in se habentes.
Audi quid faciant: geminant Crudelia vota:
Sitiuntq; nostrum sanguinem,
Clamant tolle reum; neci
Sontem tradite, postulamus.*

Igne-

Ignescunt oculi: Lerna pectora tabo

Imbuta sœuiunt nimis;

Raptantur furijs malis,

Insana Eumenidum cohortes.

Ad facinus cogunt, circum præcordia tædæ

Jaciunt, & ima concitant:

Anguem coniiciunt ferum,

In cor, virus edit medullas.

Gorgoneam ostendunt faciem; frons aspera vultus:

Et virus euomunt suum,

Concludere animam suis

Vinclis, compedibusq; seruant.

Quò fugiã? insequitur sœuissimæ turba furentum;

Suisq; me dolis petunt.

Circumquãq; premor miser:

Non euadere vim Leonum,

Possum. Tantum agitat mentes furialis Erinnys:

Latetq; in hostium sinu,

Si componere res licet

Magnas exiguis daturi

Exemplum sumus. Ut Getulus montibus altis

Leo cum ferus fame astuans,

Rictu persequitur fero

Fertur trans iuga, montiumq;

Exsu-

Exsuperat cursu sublata cacumina cælo;
Auidusq; præda, nescius
Quò feruor rapiat loco
Nescit stare, fame incitatus:
Haud aliter Iudæa cohors mihi vincula nectunt:
Leguntq; fata asperissima:
Mallent excidio obrutum.
Tantum noctis habent tyranni.
Viribus exhaustus, neq; sensus roboris in me:
Destillat humor artubus
Multus; ceu niuibus potens
Hybernis ruit imber alto
Per segetes & lata boum sata murmure vasto.
Putatus algè vilior.
In conspectu hominum miser:
Detracta est species venusta
Oris, deformesq; iacent in puluere crines;
Stygio pauore territus,
Toto & corpore viscera
Pallescent, trepidantq; multum.
Fungitur officio nullum velut antè refertum
Vigore membrum viuido:
Nullus sensus inest; stupet
Confectum nimio dolore.

Liqui-

Liquitur ut nimia Titanis lampade cera;
Resolvitur vel ignibus:
Sic cor interius gemit:
Curis fluctuat & pauore.
Deserit & vultum color, omnia languida sunt;
Tremente multum corpore,
Ardores faciunt tui,
Et vis ignea, qua fatigas
Exercesq; tuum pendentem crimina mundi,
Cruciatum in uno maximum,
Cordis viscere sentio,
Quò vertam dubito, hæreoq;
Spiritus heu vitæ succo viduatus: acerba
Persentit intus vulnera:
Nullum robur & exerit
Lethali anxietate pressus.
Sum testæ similis, gelidus quam deficit humor:
Aretq; solis lampade;
Cui nec guttula limpidi
Saltem fontis inest: sed omni
Arida facta caret, phæbo stringente, liquore:
Vexatur & siti nimis,
Suspirat riguas aquas:
Hæc me sors manet imbecillæ.

E

Me

Me tua flama ferox diuini plena furoris
Consumsit; omnem sustulit
Humorem: os hiat, arida
Haeret lingua meo palato.
Destituit fauces humor natiuus ob iram,
Quam vis tua excitat grauis:
Ultricesq; faces, quibus
Mortales adigis sub Orcum.
Extremo me nunc haerentem in limine mortis
Redigesne glebam in pulueris?
Exuto decore inclyto
In massam cinerum resolves?
Circumfusa canum ruit in me turba furentum,
Hinulumq; cogunt saucium
Latratu incidere in plagas:
Nullum perfugium vaganti.
Iniuste accusant, finguntq; atrociam dicta;
Calumniari maximus
Istorum labor atq; opus:
Coram Iudice non verentur
Criminibus fictis onerare, & fingere diras
Caput in meum foedisimas:
Me venantur ouem canes:
Dentes exacuunt saliuâ

Stillantes,

Stillantes, & bile tument, & naribus ignem
Efflant: coactus perpeti
Rictus terribiles furor
Obsedit rabidos Sophistas.

Constrinxere manu armata me factio dira:

Lucentq; flammis atria:

Noctu concilium graue

Cogunt; me miserumq; raptant.

Huc illuc; risum & gentis spectacula ducunt:

Faciemq; pulsant fustibus:

Effundunt rabiem suam,

Male verberibus fatiscunt.

Transfixumq; pedes clauis, palmasq; terebris

Crucis intulere robora;

Deuotum caput Inferis

Proscripsere Erebi tenebris.

Distendere artus; luxato corpore toto

Soluta moles vinculis,

Et compage per omnia,

Tellurem inter & astra pendet.

Siccine me tanto decoratis munere regem?

Talinen donor murice?

Numnen hac regia purpura

Aptatur, trabeaq; honores?

E 2

Hec

Hac promissa mihi præclara insignia regum?

Talinè sede fulgeo?

Sic euectus humo ferar,

Orbi fabula, risus orco?

Verùm conditio nostris contraria votis:

Conuersa sors, & omnia

Mutata; in cruce pendeo

Distentus. Numerare posset

Ossa aliquis; sanie concretaq; singula membra;

Spumatq; barba sanguine:

Consertumq; premunt caput

Spinis aspera complicata

Serta, Ornamentum: miserum spectantq; videntq;

Insana turba; vultibus

Defixis, oculis suis

Quæ spectacula præbeantur,

Tristia sollicitè captant, gaudentq;: cidentq;

De corde plausus intimo:

Euge commeruit scelus:

Expleri neq; morte possunt.

Tantus inest animis furor & dementia: tanta

Erinnys insidet malis.

Non hîc commiseratio

Duratos animos mouebat.

Sed

Sed sortes ducunt urnis de veste cohortes;
Spoliumq; diuidit ferox
Miles, queritur alea,
Quâ lucrentur opes necati.
Actum nunc penitus ficto de Rege, sonantes,
Exemptus is uiuentium
Fatali numero; amplius
In claram rediturus auram
Nūquam. Quid faceret priuatus munere Vita?
Nos esse anus putabimus
Rumores satis ebria:
Non hunc cymba remittit Orco.
Prospicio tandem portum finemq; malorum,
Parens & aura, spes, salus:
Exhaustum pelagus ferè
Ærumnarum; & acerba fati
Sustinui mala; nunc adsis; meq; eripe letho:
Neu subtrahas, & longius
A me digredere, inclytam
Gnato confer opem relicto.
Rumpe moras, adyta & feriant, & nubila cœli
Que soluo vota: ponderis
Saltem fac aliquid ferant.:
Lux instat, properato, perge.

Exaudi presso gemitus è pectore ductos:

Decus exhibe mi pristinum:

Maiestas tua splendeat

In gnato reuocato ab umbris.

Luctantemq; animam fido sine vindice, & orbam

Fato imminenti subtrahere;

Districum gladium excipe;

Seruitum satis est in unum.

Vexatumq; canum latratu, & ab hostibus Orci

Animam leuato mitius:

Hinulum tuere turbidum:

Venantis cohibere furorem.

Infestatam animam latratu gentis iniquae,

Tumultibusq; maximis,

Vindex eripito manu:

In portum statuas quietum.

Eripe me praedam latitantem in fauce leonis:

Me namq; in aluum condidit:

Conclusumq; tenet fera;

Nec dimittere vult receptum.

Monoceros cornu insultat, mihi fata minatur

Extrema; feruet concitus

Frâ, cote acuit suum

Telum; quò perimat iacentem.

Robore

Robore fertur ouans fera bellua; sola triumphat
Spoliumq; de me cogitat
Auferre; insolitum furit;
Constringi impatiens habenis.
Quid multis querar infelix? tibi cognita fata:
Rabiemq; nostri gentis, &
Extremam inuidiam vides:
Nota est pontificum libido.
Tristitia conuersa mea monumenta, fugata
Sunt dira monstra Tartari:
Spe viuo: facies redit
Conuersa in melius bonorum.
Victricem cernam pompam, festiuag; signa
Foribus necis turpissimæ
Conuulsis, Erebiq; vi
Destructa statuam triumphum.
In lucem rediturus ego post funera Lethi:
Spolia ampla victor proferam,
Serpenti exuias malo
Ostentabo humeris ademt as.
Virgineum Semen prostrato signa tyranno
In arce figam splendida:
Huc accurrite milites,
Quotquot casta fides tabellis

Signauit,

Signauit, scripsitq; parens cœlestibus oris.

Nunc parta cernitis mihi

Cœlorum imperia, & dolis

Prædatoris opes ademptas.

Exsultate mei fratres, pars inclyta regni:

Abstrusa nam mysteria

Dilecti patris explico;

Nulli audita prius, vel orbi.

Omnia restitui cœlorum auulsa recessu

Suboles; throno clarissimo

Deserto genitoris, &

Maiestate relictâ Olympi.

Abstrusis adytis Oracula sancta recludam:

Responsa dicam altissima:

Quæ curis animos leuent,

Æternis, Stygioq; luctu.

Vis arcana DEI, verboq; reposta salutis

Adumbrat ipsam imaginem,

Nostri numinis; exprimit

In mortale genus fauorem.

Stultitiam gens ceca vocat cœlestia dicta:

Odioq; habet res maximas:

Nugas imperat & suas

Cœlo attollere præ furore.

Nomen

Nomen ad astra ferā genitor: super aethera laudes
Vebam perenni carmine.

Nam terris bonitas tua
Affulsit, micat atq; semper.

Tu prater meritum adscribes penetralibus altis:
Vocabis illos pignora:

Qui confisi animis DEO

Castis, & fidei triumphant

Sola dote, tuum submissa in vota vocando

Numen per omne saculum:

Illis iustitiam nece

Partam aptabis, & imputabis

Quidquid purpureo lucratum sanguine nostro.

Tegesq; nudos murice

Fulgenti, roseo meo

Infecto penitus cruore.

Aptabis chlamydem solium sublime petenti,

Fide incitante calica

Mortalem miserum, fouens

Immensa pietate mundum.

Hec & plura parens totum memoranda per orbem

Sonabo præco maximus

Sacro in concilio, sedens

Tollam perpetuis Camænis.

F

Nomen

Nomē magnificum, virtutis & inclyta gesta;
Referta quantum gratiā
Æternis opibus, feram
Cornu diuite; quò beata
Profluat humano generi pietatis imago:
Salusq; vera rideat.
En fratres homines legam
Magni municipes Olympi.
Concilij & fratrum caput, & pars maxima, solus
Patris aperiā mysteria:
Contritis animis ero
Præstò, quos agitant labores;
Quos exercet onus culpa intolerabile mundo;
Venias afferam solatia:
Ex Orci redimam focis,
Cælo restituam futuros
Ciues. Hæc me cura manet pater optime gnatum:
Insigne regni proferam,
Splendoremq; meum: latet
Ips verbi inuolucris repositus.
Semper honos, laudesq; tuæ, tua facta manebunt,
Parens: ad orbis ultimas
Oras imperij decus
Ultrà sidera transuolabit.

Quos

Quos penes est Domini timor, & reuerentia verbi:
Quos extulit cælo fides:
Quos vox corda trahens mouet;
Amplectuntur & unum Olympi
Rectorem, dilecta Deo gratissima turba:
Placet hæc, placetq; maximè:
Complexu hanc genitor fouet:
Et dignatur honore quouis.
Ergò quid cessas? extollat ad aurea cæli
Dominum astra, magnum principem:
Et stirps Isacidum colat:
Exoret veniam malorum.
Felix es, siquidem tibi Rex cælestia dona
Offert beata portio
Tharide: venias modò
Supplex ante cadas parentem:
Exhibet ille suas gazas, & regna recludit;
Promissa defert regia:
Te primum alloquitur parens
Iuda, atq; Isacidum nepotes,
Pauperis haud gemitus, animos vel abhorret in-
Ad ima respicit Deus: (ermes:
Fædo puluere subleuat:
Et donat solio superbo.

Omne quod abiectum, & spretum censetur in orbe,

Id unice fouet DEVS:

Indulget miseris bonus:

Summo ditat honore pressos.

In contritum animum micat indulgentia cælo:

Amicus huic adesse vult:

In sedem locat arduam:

Insultare facit tyrannis.

Afflat cælo animos; præsentî numine firmat:

Adire cogit maximos

Casus, & varias vices:

Per discrimina mille eundum

Iustis: hûc iter est: Pietas exercita fulget:

Animiq; ciues pauperis

Vultu haud abiicit aspero,

Auersatur, & odit illos.

Non vultum abscondit, patriû neq; texit amorem

Bonus usq; miti pectore:

Exemplum pete me: vides

Exemptum omnibus è periclis.

Maximus ob causam hanc celebrandus carmine

Humiles quòd eligat parens:

(vino:

Et vilissima deligens

Asscribat numero piorum.

Summam

Summam ignominiam, quam nobis affricat orbis,
In dulce vertit gaudium:
Compensatq; crucis notam,
Inuisam cumulo bonorum.
Opietas immensa, orbis vilissima quaq;
Precio afficit ditissimo.
Orbis quos odio premit,
Ad fastigia tollit alta.
Numinis eterni munus: prius omnia sternit
Ad ima; crimen arguit:
Accusat scelerum reos;
Cœli quàm DEVS in recessus
Diuiuos vehat. Hæc ratio omnipotentis: & ordo
Stat fixus: omnes pauperes
Contemptosq; beat DEVS.
Sublimes animos ad Orcum,
Mittit, quos stulta corrumpit opinio carnis,
Sibi sanctitatem, & arrogant:
Assuescuntq; malis: Caue
Has pestes, fugias Auernum:
Totum trade DEO, culpamq; agnosce, rogato
Veniam, DEVMq; poscito:
Te totum abijcias, nihil
Te coram reputes parente.

Ni mea te scribat pietas charissima ciuem:

Nihil es miser, sis maximus

Quamuis, & titulis potens

Vincas Casareos honores.

Si vis membrum ergò regni, si ciuis haberi,

Humilem exhibeto: crimina

Agnoscas: veniam dabo;

Obstringam tibi me parentem.

Te regem æternum modulabor carmine dulci:

Jam lata cœli portio,

Immistusq; choro pio,

Soluam vota reus. Tuorum

Immemor haud genitor meritorum, ciuis in aulâ

Promissa reddam munera

Laudum: letitiæ noua

Edam carmen opus sonorum.

Vna mente colam; venerabor pectore & uno;

Casto innuocabo spiritu

Te; iunctisq; animis fide

Sacro in concilio vocabunt.

Quid præter laudem valeo? tua gratia diues:

Tolliq; digna carmine

Æterno; meruit satis

Cunctis fertilior diebus,

Nil

*Nil quidquā inuenio meriti: tibi vendico cuncta,
Quod accubem cœlestibus,
Totum muneris id tui:
Donis afficis immerentem.
Laude ueham te magne parens super athera; donec
Regat ossa spiritus meus:
In catu libet edere
Res gestas citharâ sonanti.
Fidenti bonus es: clementer suspicis illum:
Modò nomen inuocet tuum;
Constantiq; fide colat
Coniuncto ore DEVM professus.
Et quocumq; loco versaris; grata futura
Serena vota Numini
Scito: nobilis omnium
Cultus, si venereris. unum
Pura mente DEVM; tollasq; per aëra cantu
Immensa facta Numinis:
Hæc est vita hominis; decent
Ornamenta gregem beatum.
Nam Sacramento fidei, quo stringimur omnes,
Nos esse proximos DEO
Scimus, polliciti sumus
Summis pro meritis parenti*

Æternas

Aeternas laudes; memorem testantia mentem

Rata signa grati pectoris:

Maior gloria fit tua, -

Nobis omnia derogando.

Actum tunc benè nobiscum, si dira professus

Admissa coram Numine:

Exposcas veniam, DEO

Laudem iustitiae ferendo.

Nam quaecumq; opifex operatur iusta sciamus;

Ratio licet contrarium

Dicat; nec valeat DEI

Contemplari opera, efferenda

Nulli hominū: tamē illa manent incognita mundo:

Reservat ista maximus:

Hoc tantum facito; tibi

Serva, quod graue fortè nobis.

Ergò qui vero complexi casta timore

Domini verentur numina:

Ius omne attribuunt DEO:

Contrà se nihil esse dicunt.

Quos sitis exstimulat, quos concitat ardor edendi,

Animamq; seruant sauciam,

Et mærore grauem, situ

Squalentem scelerum suorum.

Excipiet

Excipiet structâ luxu cum diuite cœnâ;
Opima ponet fercula;
Carpent ambrosiam sacri
Verbi, nectar & accubantes
Potabunt roseo commistum sanguine nostro:
Saturabo pressa pectora
Verbi saluifico cibo:
Æternum esca manet salubris.
Contritos animos sua crimina dira fatentes
Recreat, saginat, educat:
Vox Euangelij facit:
Pacem annunciat, & cruore
Æternam partam sedem, meritoq; beato:
Sublata legis fulmina;
Et Diræ, quibus omnium
Constrictæ iaciêre mentes.
Inductas tabulas Legis denunciat omnes:
Soluta culpa nomina:
Offert candida gratia
Vox pressis animis fauorem.
Numinis æterni conspersam sanguine pallam
Nostro exhibet mortalibus:
Orbatis meriti sui
Spe, nudis chlamydem offerendo

G

Exor-

Exornat, laruamq₃ tegit tristemq₃ figuram,
Quam Pluto nostro plasmati
Erranti (dolor) indidit
Prima de statione lapso.

His epulis hominum pascuntur tristia corda:

Hæc luxus, & lautissima
Dantur prandia mentibus
Ægris, mole sua grauatis.

Æternum manet ille cibus, quem gratia cunetis

Largitur alma ciuibus;
Adsertis valida manu
Tristi seruitio tyranni.

Felices anime pascuntur diuite luxu:

Saturæq₃ fient, maximum
Inquirent Dominum salutis:
Extollentq₃ suprâ astra ciues.

Æternum uiuent dapibus recreata beatis

Hominum renata pectora:

Pastis Spiritus insidet
Æthereus, vegetosq₃ motus

Adspirat, lucisq₃ animis vehit aurea regna:

Perennis intus excubat:

Paullatim in melius creat

Oppressos veteri tyranno

Carnis,

Carnis, Seruitium cuius toleramus acerbum:

Dùm viuitur, molestias

Sentimus varias, iugo

Tentat subdere colla sæpè.

Vincit at in nobis Diuinus Spiritus: hostem

Subigit potens vi Numinis,

Æternumq; facit renati

Pectus viuere perbeatè.

Mortales valeant Epula, luxusq; superbus:

Valeatq; prandium Attali:

Cæna Pontificum omnium:

Nil conuiuia, nil voluptas.

Omnia sunt hominum mortalia: cuncta perire

Videmus heu miserrimè:

Nil constans adeò manet:

Imis summa citò videmus

Commutari hominū. Breuis & peritura voluptas;

Ruuntq; tecta regia,

Demolita iacent diu

Exstructa artificii labore.

Quisquis es ad sacras epulas te verte salutis:

Opemq; quære viuendam:

Eneruatam animam cibo

Instaura, Ambrosiâq; pascè.

Exuta gentes animi impietate sequentur
Mea castra; regna amplissima
Agnoscent; sceleris sui
Obliti, venerentur unum
Seruatorem hominum, victorem mortis & Orci
Statuis relictis saxeis,
Colochine turpis impio
Cultu, ritibus hinc nefandis
Fæda superstitio multos dominata per annos
Solio repulsa splendido,
Et sacris adytis meis
Turpi ignominia iacebit
Detecta. Accurrent venerata numina gentes:
Dominum colent in spiritu
Conuersæ in melius; sequentur
Signa amplissima veritatis.
Curuabunt genua, & submisso poplite cuncta
Regem inclytum; me maximum
Augustumq; colent suum
Pralucente fide serena.
Quæ Scythiæ gentes, Mæotica prata colentes,
Quæ spumat fæster turbidus,
Et quæ Celtica Sequana
Currit, fama aditura nostra.

Accedat

Accedat Morinos mea vox, Rhenumq; bicornem,
Tyberisq; multa pignora
Adducet mihi; milites
Augusto Domino offerentes
Præclarum studium. Illyria penetrabit ad oram,
Augusta fama nominis:
Et sub luce crepusculi
Germanos homines vocabit.
Illic educam præstanti gutture Cycnum;
Ad undas Albidos canet;
Et Cacum insidijs ferum,
Monstrum sternet humi triforme:
Exuet imperio, prædatoremq; nefandum
Cum mille factionibus:
Victor fundet ouans humi
Latronem, exuvijs ademptis.
Ille mihi prædulce melos modulabitur unus:
Furiasq;, monstra Sphyngris &
Turbabit calamo potens
Regna amplissima concitando.
Omnibus & gentes collectæ partibus orbis
Mihi debitum offerent DEO
Cultum: stultitiam suam
Plorabunt meliore fato

Donata, exhibit clarissima fama per orbem.
Domos, & urbes, insulas,
Regum tecta potentia
Visura, auspicijs serenis.
Emicat imperium latè insuperabile nostrum,
Volantq₃ fascēs regij:
Candens lucet ebur throni:
Et frontis diadema splendet.
Nostraq₃ Maiestas orbi dominatur, & Orco:
Inuicta stat: nec Inferis
Monstris cedit, & undiq₃
Victrices agitat triumphos.
Spiritus & noster totum dimissus in orbem
Decus excitabit inclytum:
Fines imperij sui
Fausto numine prorogabit.
Mancipia atq₃ hominum duro sub carcere legis
Detenta soluet compede:
Discindetq₃ iugum graue
Et sub signa patris vocabit
Fidentes animas. Regni nam praeses & auctor:
Commisa sunt huic munera
Legato, imperij erogat
Augusti bona sempiterna.

Non

Non abolet leges, suspensaq; iura tabellis:

Confirmat ordines sacros:

Sancit iudicia: approbat

Orbis constituens duces senatum.

Munus at exercet, quod non mortalibus agris

Videtur; abditum latet:

Diuinum imperium vocat;

Mirandas operas agendo,

Mandatum exequitur nostrum, praescriptaq; iura:

Ex omni parte conuocat

Auersos animos; trahit

Verbo viuifico ruentes

In scelus, & vetitos auerso numine mores:

Animas creat mortalium

Fingendo in melius, vetus

Fermentum remouens Adami.

Insidet ille animis, atq; ille ic exstruit ades

Cedente sauo Demone:

Sanctorum sibi corpora

Castus consecrat iste FLATVS.

Ergo nunc orbi constat venerabile Regnum;

Modusq; quo nunc exerat

Diuinas operas; mihi

Exstructum hospitium regenti.

Tunc

Tunc locus imperij; si quis mortalium inanes
Cultus relinquat, & meis
Sceptris subijciat, sinat
Exerceri operas salutis.

Ocia tunc mihi grata: vacent si crimine corda;
Capiantq; me cæli hospitem,
Tunc præclarè agitur: locus
Fingenti mihi si relictus.

Rex ego sum, magno mihi constitit improbus orbis:
Onus omnium iam baiulans
Portavi scelerum: meo
Quæsitum imperium cruore.

Iustitia assistit sella; pax candida sceptro
Regis: nefas & exsulat;
Procuro sapientia,

Latè ut fama per orbis oras
Exeat: & multe veniant ad prandia gentes:
Dapesq; regis visitent:
Curo sollicitè, fugoq;
Ditis terribilis cohortes.

Instructa mihi sunt acies: exercitus ingens:
In hostium irruo gregem:
Prædam quotidie extraho,
Adscriboq; mea corona.

Exsulta

Exsulta tellus; atq; edite sidera plausus:
Dominum DEVM me noscite:
Vester rex ego sum: mihi
Concessit pater ampla regna.
Morte mea exutus tenebrarum rector opimis
Spolijs: & ista diuido
In gentes: mihi debitum
Mentis soluite honorem; ut æquum.
Collecta exsilio pubes, & lata inuenta
Epulas meas, & nectaris
Libabit latices, erunt
Spumanti saturi Lyæo.
Et summi proceres aderunt, regesq; ducesq;
Quos extulit fastigium
Rerum, ad culmina honoribus
Magnis; quos animis serenis
Donauit facilis clementia; quosq; creauit
Dominos opum & peculij:
Flos et nobilium decens,
Discumbent nitidis tapetis.
Nemo hic excipitur, gratis conuiuia dantur.
Et nemo maior alteri
Præfertur: simili loco
Ciues imperij æstimantur.

H

Extendo

Extendo piscator ouans mea retia: Cete

Pariterq³ capto murices:

Nobis pisciculi placent,

Et quicumq³ colunt profundum.

Omnes in pelago ceu pradam in vincula pisces

Traho; nullus heic excluditur.

Cum doctis rudis, & Caro

In nassam incidit aequè grata.

Anxia quin etiam exsilio multataq³ turba,

Quam consciam lex arguit

Multorum scelerum, thoris

Discumbent, epulasq³ carpent.

Et surdi mutiq³ placent, quos turpis egestas

Premitt, & iubet coram ostijs

Panem querere sordidum;

Ad lautas epulas vocati.

Gentibus è multis numerus conflabitur ingens:

Prope oues in aruo fertili

Ursus strata petet; Leo

Posthac non vitulis nocebit.

Nec ferus armentis lupo insidiabitur umquam;

Erit omnium pax, omnibus

Florebit pietas; amor

Et castus pudor: exsulabit

Multo-

Multorum infelix discordia causa malorum:

Ex his & illis consuet

Cæli portio maxima:

Hæredes statuentur omnes.

Gratia & afflabit subito, quos puluere mersos

Videt & iacere mortuis

Quam viuis similes, iuuat

Pressos exsiliij periclis.

Omnes quos tristes vexant in corde dolores;

Et cura mordet anxios;

Latrantis stimulos graues

Peccati experiuntur intus:

Omnes dico equidem mea numina supplice vultu

Poscent, mihiq; seruient:

Fessos eripiam malis:

Et magnis opibus beabo.

Excito tumulo patris omnipotentis ab aura

Veniet mihi ampla hæreditas;

Existam imperij noui

Auctor, seminis & beati.

Euasi mortis claustris; Erebiq; profundi

Facient reuulsa ergastula;

Letho progenui meo

Semen magnificum resurgens.

H 2

Audi-

Auditum mirum, letho quod semina viua
Veniant meo pròh flebili:
Nobis seruiet; & meum,
Poscet supplice voce numen.
Dum cælum stellas vehet, & vasta aquora pisces,
Solumq; gignet cespitem,
Laudes posteritas meas
Et quotquot venient minores,
In sublime ferent certantes carmine docto;
Soboles renata Spiritu:
An matrem sterilem putas?
Felices hymenæi habentur.
Cælestes animæ formatae numinis aurâ,
Mihi cara diues portio,
Crescunt cottidie; capit
Æterni aula patris renatos.
Succedunt alijs alijs, spes ampla, subinde
Futura regni hæreditas
Augetur, satis & potens
Exercere operas beatas.
Sed quod munus erit delecti seminis? audi
Dabo cuncta, proferam breui.
Facundum exeret os, meam,
Orbi iustitiam indicabit.

Nempè

Nempè quod edomito tulerim spolia amplatyrann
Hostemq; vicerim horridum; (no;

Mortem & sub iuga traxerim,

Pestem terribilem triumphans.

Quòd quesita salus, & legi prestita abundè

Nece debita: & chirographa

Sint discerpta manu meâ;

Amissò veteri rigore.

Auctorem vitæ, domitorem Mortis & Orci

Vocabit ista portio:

Et sperare homines meam

Veram iustitiam iubebit.

Adserta in nitidam clarissimâ portio lucem,

Meas apertè proferet

Virtutes, alacri tonans

Voce; & iussa mei parentis

Expedient, nostro firmati numine sacro:

Duce me nitebit inclytum

Semen: iustitiæ nitens

Pallâ sanguine persalubri,

Me mandante feret mysteria prodita Olympo:

Sine me nil explicet: dabo

Diuino ingenio: ferant.

Pacem Euangelij beati.

Eloquio insignes pendent Oracula nostra
Populo inscio atq; barbaro.
Cui non imperij antea
Explorata manus opesq;
Hunc etiam ignarum Diuini numinis olim,
Vox omnium clarissima
Formabit monitis pijs,
Ad nostrum solium trahendo.
Fas etiam, ut pariter renouetur munere verbi;
Fiatq; templum nobile;
Hæc virtus meriti mei
Abstrusa, inuolucris beati
Vocalis verbi. Quam si quis negligat, exsul
Proscriptus Inferæ domus
Mansurus, rediturus &
Numquam, ni veniam affecutus.
Ergò voce DEI formamur: in organa viua
Creamur, & noua plasmata.
Templa accepta Senatui
Trino, uniq; per omne tempus.
Hoc virtutis opus: sunt hæc insignia regni:
Penesq; me sunt hæc sita:
Hoc regem decet inclytum
Factum, & cœlicolum parentem.

Hoc

Hoc præstabo lubens princeps mortalibus agris:

Non invidet regnum parens:

Virtutem exerat ut suam

Sceptrum, perficiet creator.

Non opus ulterius, mihi credite, munere Regis;

Me præter astra neminem

Norunt; officio meo

Fungar, numinis hæc potestas.

Seminis æterni princeps æternus habebor:

Mansurus omni tempore:

Nobiscum supera in domo

Viuet semen; & eminebit.

DEO CHRISTO, PONTIFICI, ET IMPE-
ratori augustissimo ter max. gloria.

IMPRESSVM FRANCOFVR-
ti ad Mænum, apud Joannem
Feyerabendt.

M. D. LXXVII.